



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs V. De postulatione Prælatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

IX. Non potest consuetudine introduci, ut in eadem Ecclesiâ idem Canonicus, duos Personatus, duas Dignitates, vel duo Officia, vel canonicalem præbendam simul cum dignitate, personatu, aut officio, absque licentiâ summi Pontificis habeat, cum talis consuetudo sit inimica sacris Canonibus, & de radice ambitionis, ac velut corruptela reprobetur in *c. 1. h. t. in 6.*

X. Nulla etiam est consuetudo, ut à Vicario Generali ad Episcopum appellari possit, cum unum idemque sit utriusque tribunal, *c. 2. h. t. in 6.* nec consuetudo aliqua impedire potest, quo minus Legati Apostolicæ Sedis recipiantur, aut liberè terras, ad quas destinantur, ingrediantur *extravag. uni. h. t. inter com.* cum iuxta jurisdictioni Pontificiæ talis consuetudo graviter noceat.

TITULUS V.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Postulatio, & quomodo ab Electione differat.

Resp. 1. Postulationem propriè & strictè dictam, prout ab Electione differt, esse petitionem Collegij seu Capituli, factam à Superiore, ut ille, qui propter defectum, vel impedimentum Canonicum, de jure communi, ad Prælaturam, vel Dignitatem Ecclesiasticam eligi non potest, ad eandem per dispensationem admittatur, si tamen in tali inhabilitate dispensare solent superiores: ut aded postulatio introducta sit in subsidium electionis; & præcipuè tantum in his ab electione differt, quod hæc juri, quod acquirit legitimè electus, qui electionem admittit, postulatio verò gratiæ imitatur; quod electio fiat de Persona habili, postulatio verò sit Personæ de jure impeditæ; & quod denique electus in electionem absolute con-

sentire possit, postulatus verò tantum sub conditione dispensationis obtineatur.

Resp. 2. Duplicem esse postulationem, tolemnem aliam, aliam non solemnem, sive simplicem; solemnis est, quæ fit à superiore super impedimento canonico, in quo potest ille, & solet dispensare, quam superiore responsione definitivimus. Simplex, sive non solemnis est, quæ non tam in impedimento canonico dispensat, inhabilem habilitando, quàm licentiam, ac facultatem à superiore v. g. petit, ne lædatur jus aliquod illius; sic religiosus illegitimè natus, si ad Episcopatum assumatur, solemniter, & non solemniter postulari debet, solemniter à Pontifice, ut cum eo, qui ratione natalium inhabilis est ad dignitatem Ecclesiasticam, super hac inhabilitate dispensetur; non solemniter autem à Prælato suo, ut ne illi invito subtrahatur, qui ratione religiøsæ obedientiæ illi subjectus est.

§. II. De

§. II.

De his, qui postulari possunt, & non possunt.

Resp. i. Illos tantum postulari posse in genere, qui impedimento aliquo canonico impediuntur, quo minus eligi possint (cum enim in subsidium electionis sit postulatio propriè dicta, consequenter tantum illi propriè postulari possunt, qui non possunt eligi) non quidem omnes, sed qui inhabiles sunt, ut eligantur, propter defectum aliquem, in quo superior potest, ac solet dispensare, uti colligitur ex c. 1. §. nos igitur. junctâ Glos. V. Personam. h. t. ne frustranea scilicet sit postulatio. Et hinc postulari non possunt ad Prælaturam, qui laborant publicâ moram infamiâ, aut in crimine aliquo, quo notati sunt, perseverant, vel qui omnino sunt illitterati, bigami, sputij ex damnato coitu nati, uti colligitur ex c. nisi cum pridem 10. §. Persona verò. de renunt. qui interdictum loci scienter, ac temerè violavit c. 1. h. t. qui 27. ætatis annum non attigerunt &c. nec postulari possunt Religiosi professei ordinum mendicantium ad inferiores cathedralibus Ecclesiis, aut ad monasteria extra suos ordines, ut patet ex extravagante uni. h. t. inter comm. qui tamen vinculo alterius Episcopatus tenetur, etiam si tantum confirmatus sit, quamvis eligi non possit in Episcopum, aut Archiepiscopum alterius Ecclesiæ, cum sit spirituali matrimonio primæ suæ Ecclesiæ junctus, & sic incapax alterius matrimonij spiritualis contrahendi prius, quam à priore vinculo solvatur, postulari tamen potest à Pontifice, qui po-

test, & solet in casu necessitatis, aut magnæ utilitatis, dispensare, ut cum priore Episcopatu retento alium etiam Episcopatum recipiat postulatus, vel saltem priore dimisso, ad alium transeat, prout constat ex c. ult. h. t. & ex c. ult. de translat. Episc. Et quamvis Cardinalis S. R. E. non Episcopus, in Episcopum alicujus Ecclesiæ postulari debeat à summo Pontifice, postulatio tamen hujus, non est postulatio solemnis, cum nullo canonico impedimento prohibeatur, quò minus eligi possit, sed postulatio simplex, sive non solemnis, ne scilicet Ecclesiæ universali, cujus administrationem Pontifex habet, per talis Cardinalis absentiam, in suâ Ecclesiâ particulari residere obligati, sua subtrahatur utilitas, quam ex hujus Cardinalis in Romana curiâ præsentia sperare potest: quo modo etiam Prælati Episcopo inferiores, quamvis simplici tæpe postulatione à suis Capitulis v. g. postulandi sint, rectissime tamen dicuntur eligi, & non postulari, cum nullo canonico impedimento impediuntur, quo minus eligi possint.

§. III.

De Superiore, à quo fieri debeat Postulatio.

Fieri debet ab eo superiore postulatio, cujus est Prælati, si electus esset, confirmatio, si tamen super impedimento canonico ratione cujus sit postulatio, dispensandi licentiam habet (habet enim admissio postulationis, vim confirmationis, ergo ab eo fieri debet postulatio, à quo petenda foret Electi confirmatio) neque tamen ex obligatione justitiæ admittere postulationem

concorditer factam, & à se petitam teneatur superior, quamvis admittere teneatur ex iustitia electionem legitimè factam, & legitimè electum confirmare, cum postulatio gratiæ, electio iuri innitatur, ut dictum: neque tamen etiam nego, quòd ex debito officii postulationem admittere teneatur, si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ exigere videatur, cum ex officio illi incumbat talis Ecclesiæ utilitati, aut necessitati providere.

§. IV.

De illis, qui habent jus, sive potestatem postulandi.

OMnes, qui eligere possunt, jus etiam postulandi habent *c. bonæ 4. §. ceterum h. t.* eò quòd postulatio in supplementum electionis concessa sit, & tanquam accessorium regulariter non acquiratur sine jure eligendi, nisi extraneus v. g. aliquis ex mera gratia ad electionem Prælati admittatur, & jus postulandi nondum legitimè præscripserit, quo in casu potest talis à postulatione excludi. Ut autem postulatio à superiore admitti possit, debent duplo plures postulare, si facta sit in discordia, ita ut aliqui Capitularium elegerint aliquem, alii postulant aliquem *c. scriptum 40. de Electione* (meritò enim plus requiritur ad extraordinaria, uti est postulatio, quàm ad ordinaria, uti est electio) ita ut si in tali casu à majore quidem parte facta fuerit postulatio, à minore verò electio, penes superiorem sit, confirmare num velit à minore parte electum, an majoris partis postulationem admittere: Si verò nulla electio intervenit, sed tam hi, quàm illi

diversos postulaverint, sufficit ad postulationem alicujus admittendam, si à majore parte Capituli postulatus sit, ut probatur ex *c. postulationem 5. h. t.* cum in tali casu non sit pro una via providendi, major ratio, quàm altera. Et quamvis eligentes variare non possint post factam legitimè electionem, & ab Electo admiffam, cum per talem electionem, & admissionem huic jus fuerit acquisitum, quòd adimere ipsi per variationem amplius non possunt, qui elegerunt; possunt tamen variare, qui postulationem alicujus fecerunt; modò postulatio talis Superiori nondum fuerit præsentata, ita ut ante talem præsentationem alium postulare possint sine præjudicio illius, quem prius postulaverunt, tum quod per postulationem talem nullum adhuc jus postulato acquisitum fuerit, tum quòd superiori, cui postulatio jam præsentata fuit, videatur illud, si post præsentatam postulationem priorem, alia iterum tentaretur, quæ omnia habentur in *c. c. bonæ 4. h. t.*

§. V.

De pœnis postulantium indignum.

Qui scienter ad Prælaturam postulant indignum propter vitium, seu defectum indispensabilem, pro ea vice, ipso jure seu facto, privati sunt potestate postulandi, & eligendi, *Gloss. in c. 1. v. privare h. t. c. 2. eod.* quæ enim pœna statuta est contra indignum scienter eligentes, *c. cum in cunctis 7. §. fin. de Elect.* extenditur in *c. 1. h. t.* ad scienter indignum postulantes: quam pœnam etiam incurrunt illi, qui postulationem personæ indi-

indignæ temerè ab illis factam, & à superiore ob vitium personæ reprobam, repetunt *c. gratum 2. h. t.* (quia, qui concessa sibi potestate abutitur, meretur ea privari) ita ut ad eos, qui in postulationem indigni, aut revocationem postulationis reprobam non consenserunt, sed expressè contradixerunt, licet numero pauciores sint; imò etiam si unus tantum innocens super sit (cùm in uno collegii jura conserventur) pro hac vice devolvatur jus eligendi, aut postulandi, prout colligitur etiam ex *c. bona 23. & ex c. clem Vintonensis 25. de electione.*

§. VI.

De forma Postulationis, ejusque effectu.

Quamvis tutius sit, ut in postulatione solemni forma Scrutini, & aliæ solemnitates ad electionem à jure requisitæ observentur, absolutè tamen necessarium non est, eò ipsò enim, quòd per electionem ab electo admissam jus aliquod contra electores acquiratur, non autem per postulationem, consequenter major cautela necessaria est, in illa, quàm in hac. Reprobantur autem à jure expressè illæ formæ postulationis, quæ sub formis ambiguis fiunt v. g. *eligo postulando; vel postulo eligendo; vel eligo postulandum;* aut

postulo in eligendo; vel denique eligo; & postulo prout melius de jure valere potest c. uni. h. t. in 6. (cùm tales formæ incertitudinem, & obscuritatem contineant, & ex illis colligi clarè non possit, utrum postulatio fiat, an electio, neque enim, qui eligi debet, postulari potest, aut qui postulari debet, eligi potest) nisi probabile dubium sit de Canonico impedimento, quo in casu, sub ea formæ *eligo & postulo. prout melius de jure valere potest:* postulatio fieri potest, prout *extolato c. uni.* habetur, ita tamen, ut taliter electus & postulatus determinare debeat, utrum electionis, an postulationis viam prosequi velit, & non possit ab una ad alteram variare, cum præjudicio tertii juxta regul. 21. in 6. Effectus autem postulationis solemnæ præcipuus est, quod postquam ea à superiore admissa fuit, vim habeat electionis confirmatæ, ita ut postulatus admissus jus omnè consequatur, perinde ac si esset electus, confirmatus, & aliâ confirmatione non indigeat, ut licitè, & validè administret. Simplicis verò postulationis, sive non solemnæ, ille effectus est, ut obtentâ licentiâ superioris eligi ille possit, vel electus confirmari, si ante obtentam licentiâ postulatus fuit, quod fieri posse concedunt communiter.

TITULUS VI.

DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

SECTIO I.

§. I.

De Electione in genere, & Electoribus.

Quid sit Electio, & quomodo ab aliis modis providendi Ecclesia differat?

G 3

Electio